

dictam civitatem et castrum Pyrnis cum universis suis iuribus et pertinentiis antedictis praefato domino regi Boemiae et heredibus suis vel ei, cui hoc per eos specialiter commissum fuerit, restituere et libere resignare omnimode teneamur, contradictione, occasione et recusatione cessantibus quibuscumque. Tamen dictus dominus rex vel heredes sui praefatam summam pecuniae prae omnibus, qui ipsius contemplatione faciunt vel dimittunt, conducere et conduci procurare usque ad nostra fortalitia, castra seu munitiones propinquiores absque quovis dolo malo seu ingenio debebit et promisit. Testes autem huius rei sunt venerabilis in Christo pater dominus Wytgo episcopus Myssnensis nec non nobiles viri Jofridus comes de Leyning, Vlricus dominus in Hanow, Thymo de Coltitz, Hynco Berca de Duba purchrauius Pragensis, Heinricus de Lypa, Wylhelmus de Lantstein, qui praedictis tractatibus praesentialiter interfuerunt. In cuius rei testimonium praesentes scribi et sigillo nostro iussimus communiri. Datum et actum Praegae in die conversionis sancti Pauli apostoli anno domini millesimo trecentesimo tricesimo sexto.

Ponatur ad reversas.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Secret des Herzogs (antikem Kopf) an einem Pergamentstreifen.

No. 419. 1336. 27. Jan.

*K. Johann von Böhmen beurkundet, dass er Stadt und Schloss Pirna, welche er und seine Vorfahren, ohne zu wissen, dass sie Lehen der Meissner Kirche seien, lange Zeit innegehabt, nach erlangter Kenntniss des Sachverhalts der Meissner Kirche ausgehändigt, dass aber B. Withego ihm, um einen mächtigen Beschützer zu erlangen, diese Stadt sammt Schloss sowie alle zur Burg Dohna gehörigen, der Meissner Kirche zustehenden Güter zu Lehn gereicht habe.*

Johannes dei gratia Boemiae rex Lucenburgensis comes universis praesentes litteras inspecturis gratiam regiam cum salute. Ingens pietatis opus operari censemur in terris et gratum sacrificium laudis cum victima holocausti deo et angelis offerimus in excelsis, dum ea, quae hominis homini et quae dei sunt deo evangelica eruditi veritate reddendo largimur. Noscat igitur vestra universitas praesens et postera, quod cum nos nonnullorum fide dignorum testimonio plenam accepimus notitiam, civitatem et castrum Pyrnis ab antiquo spectare in feodum ad ecclesiam Mynensem, quae nos et praedecessores nostri tenuimus ignari, quod ad eandem ecclesiam ipsa civitas cum castro spectare noscerentur, ipsam civitatem cum castro Pyrnis venerabili in Christo patri domino Witkoni episcopo Mynensi nomine ipsius ecclesiae Mynensis libere duximus restituendam. Idem vero dominus episcopus dictam suam ecclesiam cupiens tanto decorare propugnatore rege Boemiae conditionemque ipsius ecclesiae de bono in melius reddere meliorem, ipsam civitatem Pirnis cum castro, una cum bonis universis spectantibus ad castrum Donynd dependentibus in feodum ab ipsa Mynensi ecclesia, nobis et nostris successoribus regibus Boemiae in feodum honorabile contulit nosque per birretum suum de eis in signum vassallagii feliciter investivit, nos autem praedictam civitatem et castrum una cum bonis praedictis ab ipso domino episcopo suo et ecclesiae suae nomine in feodum perpetuum accepimus et accipimus, promittentes pro nobis et successoribus nostris regibus Boemiae debitum fidelitatis homagium, obedientiam et reverentiam eisdem domino episcopo et ecclesiae Mynensi se facturos.